

## **Disputatio Philosophica Qva Immortalitas Animæ In Systemate Influxvs Physici Salva Sistitur**


Rostochii: Typis Johann. Jacob. Adleri, 1739

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1860574637>

Druck Freier  Zugang



RU phil. 16.Sept. 1739  
Pries, Joach.Henr.



DISPVATIO PHILOSOPHICA  
QVA  
**IMMORTALITAS**  
**ANIMÆ**  
IN  
SYSTEMATE INFLVXVS PHYSICI  
SALVA SISTITVR.

---

*QVAM QVE*  
EX BENEVOLO CONSENSV AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI  
AD D. XVISEPTEMBR. A. MDCCXXXIX.  
*PVBELICO EXAMINI SVBMITTVNT*  
PRAESES  
**M. JOACH. HENR. PRIES**  
ET RESPONDENS  
**JOANN. JOACH. TARNOW**  
PHILOSOPH. ET SS. THEOLOG. STVD.

---

ROSTOCHII  
Typis JOANN. JACOB. ADLERI. SEREN. PRINC. ET  
ACADEM. TYPOGR.



Immortalitas animæ arduis  
veritatibus in systemate Phi-  
losophico accensetur opti-  
mo jure. Sublata enim im-  
mortalitate, poenæ & præ-  
mia futura tollerentur, ad-  
eoque motiva virtutis eriperentur istis homi-  
nibus, qui odisse malum non nisi ex formidi-  
ne poenæ didicerunt, inter quos tandem ipsa  
virtus exularet. Hinc etiam Philosophi anti-  
quiores pariter ac recentiores agnoverunt,  
immortalitatem genuinum esse fundamentum  
virtutis. Jure meritoque ergo eæ sententiæ in-  
ter perniciosissimas humano generi reputan-  
tur, quæ vel palam vel per cuniculos immor-  
talitati animæ minitantur. Quarè, quod si  
ex

ex systemate influxus Physici tandem istiusmodi consequentiæ elici possint, quæ immortalitatem animæ evertunt, tunc horum classi illud annumerandum esse, neminem negare facile arbitror. Cum vero hoc systema, nostris adhuc temporibus, inter multos ingenio & doctrina pollentes, Theologos & Philosophos applausum suum tueatur, quod fieri non posset, si contradictionis cum immortalitate iuste accusaretur; non abs re fore iudicavimus, paucis in id inquirere: præsertim, cum, quoad nobis innotuit, hæc materia a nemine ex instituto sit pertractata. Versabimur vero in hoc negotio, ita, ut ne inanis pruritus istiusmodi Viris Celeberrimis, ex quorum scriptis, nomen eorum a mortalitate vindicaturis, in cognitione veritatis egregie proficere possumus, contradicendi jure nobis objici queat.

2 X

S. I.



§. I.

**D**octrina de immortalitate animæ est ex earum numero, quibus lumen intulerunt Philosophi recentiores.

Morte carere animas, omnes quidem asseverabant ex antiquorum choro, sed in notione immortalitatis formanda minus recte versabantur, indestructibilitatem (ut termino recepto utar) quippe cum immortalitate confundentes. Recentiores contra philosophi, Illustr. WOLF'VS, & qui eum sequuntur, distinctione inter indestructibilitatem & immortalitatem facta, in formanda hujus notione completa, studium suum primi collocarunt.

Ut appareat, nos non sine rationibus veterum deseruisse placita, & subscribere recentioribus, eas in medium producemus. (1) Enim sola indestructibilitas non exhaurit eam ideam, quæ morti opponitur. Cum enim ens aliquod mori dicatur, quando istiusmodi obtinet statum, in quo operationes ejus plane cessant (per def. mortis). Operationes vero animæ sint ejus perceptiones (per princ. Psychol.) anima nihilominus foret mortalis, si perceptiones ejus cessarent, licet indestructibilitas de ea prædicetur. Hinc opus erit, animæ post mortem corporis tribuere perceptiones, & quidem distinctas, ne turpis Psychopannichitarum revocetur error: (2) immortalitas animæ ideo tribuitur, ut demonstrari queat,

queat, eam post mortem corporis præmiorum & pœnarum esse capacem. Sed istiusmodi status animæ concipi nequit, si præter indestructibilitatem animæ nihil assignetur. Nisi enim hic memoria statuum præteritorum illi vindicetur, ratio pœnarum & præmiorum, quæ quidem si iusta sunt, culpæ & integritatis convictos, hinc conscios, ferire debent, deficiet.

Distinctionem immortalitatis ab indestructibilitate sic evincimus: Notiones immortalitatis & indestructibilitatis, a corporibus ad animam translatae sunt, opposita licet ratione. Sed in entibus compositis mors & destructio differunt, quia mors antecedit, destructio vero demum sequitur. Quamobrem etiam indestructibilitas & immortalitas animæ distinguendæ sunt. Ceterum, cui placet, specialius nosse, quidnam antiquiores de immortalitate philosophati sint, & quantum ab eorum placitis dissent meditationes recentiorum, is inter se conferat Clar. SALIGII Philosophumena veterum & recentiorum de anima, & ejus immortalitate, & Illustr. WOLFII Psych. rat. nec non THYMMIGII disert. de immortalitate animæ.

§. 2.

Est vero immortalitas animæ speciatim potentia animæ perseverandi post mortem corporis in statu distinctarum idearum, & conservandi memoriam sui.

Non equidem ignoramus, eos, qui immortalitatem animæ sufficienter se exposuisse crediderunt, quando animam destrui non posse asseverarent, constanti consensu affirmare, animam perseverare in statu distinctarum idearum, eamque conservare memoriam sui: quod vel ex eo patet, quia errorem Arabicorum & Metempsychosin Pythagoricam rejecerunt. Nec dubitamus,

)( a

eos

eos ad completam immortalitatis notionem pervenire potuisse, nisi existimassent, indestructibilitatem in se continere rationem sufficientem potentiae perseverandi in statu distinctarum idearum, & conservandi memoriam sui. Sed ab hoc onere probandi nunquam se liberabunt. Hæc si probe considerasset D. Autor Quæst. philosoph. quibus diligenter &c. vitium in definiendo maximum insigni Philosopho non objecisset,

§. 3.

Animam a corpore & ejus situ in hoc mundo dependere, corpusque vicissim dependere ab anima, experientia docet. Dependentiã animæ a corpore, corporisque ab anima commercium animæ cum corpore vocant Philosophi, quod a nemine nisi Idealismi, aut Materialismi patrono in dubium vocatum est unquam.

Ob dependentiam corporis ab anima speciatim animæ regimen in corpus assignatur, quod nobis vero in hac dissertatione non in censum venit, sed tantummodo ista pars commercii animæ cum corpore, qua anima a corpore dependet.

§. 4.

Istæ hypotheses philosophorum, quas excogitarunt, ad reddendam rationem commercii inter animam & corpus intercedentis, systemata explicandi commercium inter animam & corpus vocantur.

Nu-

Numerum systematum possibilem summus LEIBNITIVS primus indicavit exemplo duorum horologiorum, quæ consonare debent. Quod quidem exemplum Leibnitianum ansam suppeditavit Excell. BILFINGERO in hanc rem altius inquirendi. Fecit id in commentat. De Harmonia mentis &c. Sect. II. ubi ex modo, quo duæ res contingentes, quales sunt anima & corpus, in mutationibus suis convenire queunt, tandem evincit, non dari posse plura systemata tribus, quartumque adhuc systema sperandum non esse, vid. l. c. §. 17. seqq.

Quod si Historiam Philosophicam, & præcipue systematum hic consulamus demonstrationem Excell. BILFINGERI de numero systematum optime confirmatam videmus a posteriori, in tribus illis systematibus, ARISTOTELICO-SCHOLASTICO, CARTESIANO, & LEIBNITIO WOLFIANO. De ARISTOTELICO §. seq. mox agemus, reliqua paucis tangemus. CARTE-SIVS & affectæ, ut stabilitæ a se legi, de eadem motus quantitate in mundo semper conservanda, consulere, cui a systemate Aristotelico periculum imminere sibi persuadebant, hoc rejecto ad Deum provocabant, qui ad præsentiam mutationum in organis sensoriis s. idearum materialium in cerebro, perceptiones harmonicas in anima, & ad præsentiam mutationum in anima s. appetitionum & aversationum harmonicis in corpore motus voluntarios produceret, unde quoque systema assistentiæ, & quia in hoc systemate anima & corpus tanquam causæ secundæ omni vi agendi destitutæ, quæ Deo solummodo occasionem agendi præbeant, assumuntur, etiam systema causarum occasionalium vocatur. LEIBNITIVS tandem, pro sua, qua pollebat, sagacitate perspicuus, nec per hoc systema legibus naturæ & motus consuli, legesque illas, quibus voluntas Dei in hoc

hoc systemate adstringitur, ratione [sufficiente esse destituta, & perpetua introduci præterea miracula Conf. Theod. p. m. 175. 553, habita principiorum suorum ratione, ad illud systema delapsus est, quod sub Harmoniæ præstabilitæ titulo famam & applausum non mediocre nactum est. Vi hujus systematis ex ordine semel a Deo præstituto anima vi sua propria producit series perceptionum, quæ mutationibus in corpore contingentibus, & corpus vi sua propria producit series motuum voluntariorum, quæ volitionibus animæ sunt harmonicæ. Atque hoc quidem est illud systema, quod tot contradictiones, tot malevolasque accusationes sustinuit recentioribus temporibus, nunc autem, etsi non omnibus probetur, tamen nec pro impossibili, nec libertati inimico, sed potius peculiaribus prærogativis præ systemate influxus Physici instructo, etiam ab iis æstimatur, qui illud ceteroquin non admittunt. Conf. S. R. D. REINBECKIUS in der Erörterung der Philosophischen Meinung von der Harmoniæ præstabilit. & Cel. Jenensium Philosophus D. REUSCHIIUS, Præceptor & Patronus noster, nunquam sine laude & grata mente nobis commemorandus in system. Metaph. §. 810. Non equidem nescimus, a nonnullis Viris doctissimis allegari adhuc alios modos s. Systemata explicandi commercium animæ & corporis. Sed, si rem accurate consideramus, tandem redeunt ad unum vel alterum ex modo allegatis systematibus, relicta solum vel levi differentia, quæ novum systema constituere nequit.

## §. 5.

Systema influxus Physici vulgo ARISTOTELICUM item VULGARE, a Cel. D. REUSCHIO ad evitandam, offensionem systema CAUSSALITATIS appellat.

pellatum, est ista hypothesi, qua ratio commercii inter animam & corpus intercedentis redditur, ex actione corporis in animam & animæ in corpus.

In explicanda mutua hac actione, Philosophi in duos veluti ramos se dividunt. Antiquiores, Scholastici scilicet Aristotelis interpretes & horum affectæ, per eam transitum vis s. realitatis animæ, appetitione in illa existente, in corpus, quæ in motum mutetur, & transitum vis s. realitatis corporis, mutationibus de rebus illud ambientibus, in organis sensoriis contingentibus, in animam, quæ transformetur in representationem, intelligi volunt. Quam quidem genuinam illorum esse sententiam pluribus ostendit Illustr. WOLFIUS Psych. rat. 558. 559. seqq. qui quoque nullam aliam ejus vult admittere ideam, Part. II. der vernünftigen Gedanken von Gott 2c. S. 269. expresse scribens: wer dergleichen (scilicet influxum Physicum ex mente scholasticorum) nicht einräumt, der nimmt den influxum Physicum auch nicht an. Recentiores vero influxum Physicum defendentes, de sententiæ prioris absurditate convicti, non aliter eum sibi concipiunt, quam quatenus naturæ ordini convenit, quod vel ex ipsorum notionibus de actione & influxu unius substantiæ in alteram, quæ multum abhorrent a notionibus imaginariis antiquorum patet. Conf. Cel. REUSCHIIUS system. Metaph. §. 792. seqq. Licet equidem inter defensores influxus Physici intercedat discrimen, utriusque tamen in eo conveniunt, quod anima ad representationes suas per corpus, & corpus ad motus voluntarios determinetur per animam. Nostrum interim non esse putamus, in istam controversiam descendere, quodnam ex tribus istis systematibus maxima se probabilitate commendat, & utrum influxui Physico ea tribuenda sit. Pro nostro enim scopo systema influxus Physici posset esse

)(

fal-

falsum ex alia ratione, licet non sit ob imputatam illi contradictionem cum immortalitate animæ. Nec opus erit, ea, quæ de hac materia recentius disputata sunt, uberius allegare, cum scripta Illustr. WOLFII, BILFINGERI, REINBECKII, REUSCHII, HOLLMANNI, GOTTSCHEDII, MULLERI, aliorumque sint in omnium manibus.

§. 6.

Ens, salvo alio, poni posse dicitur, quando illud cum altero est compossibile. Compossibilitas oritur ex non contradictione cum alio (p. defin.) systema ergo influxus Physici salva immortalitate animæ poni poterit, quando immortalitati non contradicit. Tunc autem illi contradiceret, quando negaret, vel animam post mortem corporis non posse perseverare in statu distinctarum idearum, vel non posse conservare memoriam suam. (§. 2.)

§. 7.

Systema influxus Physici contradictionem cum immortalitate animæ involvere, a nonnullis asseritur.

Illustris WOLFIIUS systema Harmoniæ præstabilitæ omnibus aliis præferens, inter alia quæ influxui Physico opposuit, etiam contra illum nectit argumentum ex eo, quod immortalitati animæ contradicat. Mentem suam hac de re Vir illustris in præfatione secundæ editioni dedit vernünftigen Gedanken von Gott etc. præfixa proposuit, eamque postea repetit Par. I. §. 326. Mox S. R. D. LANGIUS in modesta disquisitione &c. contra hanc accusationem influxus Physici nonnulla in medium protulerat, ubi vero mentem Viri illustris non recte perspexerat. Depravatum, verborum suorum sensum Illustr. WOLFIIUS  
inte-

integritati suæ restituere in monito ad commentat de different. nexus &c. §. XVIII. Cum vero nihilominus D. LANGIUS non solum in Vindiciis disquisitionis, sed etiam in denen 130 Fragen &c. eadem iterum ingeminaret, & simul fateretur, se non posse perspicere, quomodo ex systemate influxus Physici contradictio cum immortalitate animæ exculpi posset. Cel. CARPOVIUS, ex mente Illustr. WOLFII argumentationem istam contra systema influxus Physici suppeditabat in der nöthigen Antwort auf die 130 Fragen &c. §. 17. Monuerunt equidem nonnulla qui contra Cel. CARPOVIUM calamum strinxerunt Promachi Langiani, sed respondit Cel. CARPOVIUS in der Erläuterung der Wolffischen Moral p. 457. & 524. seqq. Existere equidem nonnulli, qui dubium hocce in transitu tangentes, id ipsum diluere conati sunt. Huc refero Cl. D. SPÖRLIUM Dissert. de imagine Divina §. XI. pag. 21. & Cl. JAHRIUM in Quaestionibus philosoph. quibus &c. Sect. III. p. 58.

§. 8.

Si ad dubium ipsum reflectamus, ejus summa huc redit: Anima post mortem corporis (supposito systemate influxus Physici) esset mortalis, quia non potest perseverare in statu distinctarum idearum, ob defectum sensationum ad ideas distinctas prærequisitarum. Sensationes deficiunt ob cessationem determinationis animæ a corpore (p. syst. infl. Phys.) Determinatio animæ a corpore cessat, ob defectum commercii animæ cum corpore, quod quidem perit, ob mortem & interitum corporis.

Ita enim illustr. WOLFIUS; Part. II. der vernünftigen Gedanken von Gott &c. §. 925. „In dem gemeynen systemate influxus Physici scheint es schwer zu begreifen zu seyn, daß

„daß die Seele nach dem Tode nicht in einen Schlaf verfa-  
 „le, weil sie nicht würcken kan, als wenn ihre Krafft vorher  
 „durch den Leib dazu determiniret worden. Cel. CARPO-  
 „VIUS l. c. ita: „Die Unsterblichkeit der Seele involviret, daß  
 „die Seele nach dem Tode des Leibes im Zustande klarer und  
 „deutlicher Gedancken bleibe. Nun aber nehmen die Ge-  
 „dancken ihren Anfang von den Empfindungen. Gesetzt nun,  
 „daß wie es das systema influxus Physici mit sich bringet,  
 „die Seele von dem Leibe zu ihren Gedancken determiniret  
 „werden muß, folgendts ohne den Leib durch ihr Vermögen  
 „nichts bewerkstelligen kan, wo wollen denn die klaren und  
 „deutlichen Gedancken in der Seele, nachdem durch den Tod  
 „der Leib von ihr getrennet worden, herentspringen? Cessante  
 „causla, cessat effectus fällt aber nach dem influxu Physico  
 „corporis in animam, der Zustand klarer und deutlicher Ge-  
 „dancken bey der Seele, nach dem Tode des Leibes hin, so muß  
 „auch nach demselben die Unsterblichkeit der Seelen hinfallen.

## §. 9.

Tota hæc difficultas tandem ex defectu commer-  
 cii corporis cum anima post mortem corporis origi-  
 nem suam ducit, (§. 8.) sed in omnibus systematibus  
 commercium animæ & corporis post hujus mortem  
 cessaturum, assumi debet. E. nullum systema ab hac  
 objectione tutum erit, id quod jam specialius common-  
 strabimus, eodem argumentandi modo usuri.

Commercium animæ & corporis docet experientia  
 (§. 2.) hinc in omnibus systematibus assumendum est. Id  
 ipsum vero post mortem corporis cessare, mortis definitio  
 reddit manifestum.

## §. 10.

In systemate Cartesiano corpus Deo dat occasionem  
 in anima producendi ideam sensualem, mutationibus  
suīs

fuis conformem, (Conf. §. 4. Schol.) sed post mortem suam corpus Deo non amplius occasionem præbere potest, (per defin. mortis) hinc Deus nec amplius modificat animam. Hinc nec existunt sensationes, hinc nec ideæ distinctæ, quæ a sensationibus originem suam repetunt, hinc animæ immortalitas etiam in hoc systemate periclitabitur.

§. II.

In systemate Leibniziano anima quidem vi sua propria producit ideas sensuales, sed mutationibus in organis sensoriis contingentibus (s. situ corporis organici in mundo) convenienter, (Conf. §. 4. Schol.) nec istis non contingentibus ullam ideam sensualem ex fundo suo evolvere potest. Quapropter deficientibus post mortem corporis mutationibus in organis sensoriis, (s. sublato situ corporis organici in mundo) anima non amplius perceptiones istis mutationibus harmonicas producere poterit, adeoque sensationes (p. definit.) distinctis perceptionibus originem largituræ, hinc ipsæ perceptiones distinctæ deficient, nec ipsa tandem immortalitas salva conservabitur.

§. 12.

Cum Ergo dubium §. 8. allegatum omnibus systematibus commune sit (§. 9. 10. 11.) id ipsum soli systemati influxus Physici opponi posse, ex æquo dubitamus.

Fatemur, nos non perspicere, quomodo systema Cartesianum, aut Leibnitio-Wolfianum cum immortalitate magis consentiat, quam quidem systema influxus Physici.

§. 13.

Spiritus est ens intellectu prædicum.

)( ( 3

Ut

Ut ne quis definitionem hancce imperfectionis accuset, pauca notabimus :

1) Spiritum esse ens simplex s. immateriale, non vero ens compositum, dum enim intellectum illi tribuimus, facultatem notiones distinctas habendi (per definit) illi adscribimus, quam ens compositum nec habet, nec habere potest, (per princ. Psychol.) & quoniam spiritus est ens simplex, eum esse substantiam.

2) Spiritum etiam voluntate gaudere, quia ex intellectu sequitur voluntas (p. princ. Psychol.)

§. 14.

Animam humanam esse ex numero spirituum, ex eo cognoscimus, quia intellectu gaudet (p. princ. psychol empir. & §. 13.) sed quia cogitationes ejus, quamdiu cum corpore unita est, ad corpus restrictæ sunt, eaque hunc mundum sibi repræsentat pro situ corporis organici in mundo, & per hunc situm limitatur materialiter, id est quoad objecta repræsentata, per constitutionem vero organorum sensoriorum formaliter, hoc est, qua modum cognoscendi (per princ. Psychol.) anima in unione cum corpore est spiritus per corpus limitatus.

§. 15.

Cum post mortem corporis organa ejus sensoria a functionibus suis prorsus cessent, ejusque tandem interitus insequatur (per exper.) anima non amplius sibi repræsentabit mundum pro situ corporis organici, hinc non amplius erit limitatus a corpore. Erit ergo post mortem corporis adhuc spiritus. Conf. §. 14.

§. 16.

Cum anima post mortem corporis sit spiritus (§. 15.)

15.) etiam ea, quæ spiritibus conveniunt, de anima possunt prædicari (per princ. Log)

§. 17.

Ea, quæ spiritibus conveniunt, post mortem corporis de anima possunt prædicari (§. 16.) Hinc etiam idem modus, quo spiritus ad distinctas perceptiones pervenit, de anima post mortem corporis prædicandus erit.

Spiritum distinctarum perceptionum esse capacem, ipsa ejus definitio docet (§. 13.) modus vero, quo ad eas pervenit, cum certitudine apodictica non patet, cum is summo jure ad mysteria naturæ referatur. Qui hic Harmoniam præstabilitam commendare vellet, rem ne sic quidem expediret; cum deficeret ratio, cur spiritus, (atque sic etiam anima post mortem corporis) hanc potius nec aliam, hoc nec alio tempore & ordine evolvat perceptionum distinctarum seriem. Ipse summus LEIBNI-TIUS, & qui eum sequuntur, Harmoniam præstabilitam non sufficere suo exemplo docent. Cuilibet enim spiritui finito typum perceptionum materiale jungunt, eundemque ipsi quoque animæ post mortem corporis tribuunt, ut, cum illimitata esse nequeat, per ipsum limitetur, postquam ejus limitatio ab hoc corpore periit. Quod si ergo licet disputare κατ' ἀπορίαν, systematis influxus Physici defensores hanc hypothesein Leibnitianam admittentes, facile respondere possunt ad quæstionem: Quomodo anima post mortem corporis salvo influxu Physico in statu distinctarum perceptionum perseverare queat, cum post mortem hujus corporis, reciproca actio iterum redeat inter animam & schema ejus materiale, per quod denuo limitatur. Conf. Cel. REUSCHIUS Pneumat. Hypothes. §. 1129.

§. 18

§. 18.

Hæc dixisse sufficiant. Credimus enim, quod ex iis, quæ hætenus disputata sunt, satis appareat: **IMMORTALITAS ANIMÆ IN SYSTEMATE INFLUXUS PHYSICI SALVA.** Ceterum benevolos hujus Dissertationis lectores, æquos judices, futurisque nostris conatibus faventes, exspectamus.

Argumentum ab Illust. WOLFIO contra systema influxus Physici formatum, non est ab invidia ductum.

Quicumque ad imaginationem, intellectum, rationem, facultatem fingendi &c. post mortem corporis in anima perdurantem, provocant, ii nodum hujus dubii non solvunt.

Illi statim controversiæ immutant, qui, defensores influxus Physici immortalitatem animæ non evertere, commonstrant.

Systema influxus Physici crassum indestructibilitati animæ repugnat. Methodus Mathematica non ex Mathesi in Philosophiam, sed ex Philosophia in Mathesin est translata.

Potest aliquid optice verum, & Physice falsum esse.

Creatio mundi ab æterno est impossibilis.

Bonus Philologus bonus debet esse Philosophus.

In Celeb. DANZII מרקוק non omnia firmis superstructa sunt fundamentis, nec cuncta innotescunt scientificæ.

Montanum hæresiarcham suspendio se ipsum necasse, sine firmis asseritur fundamentis.

**ERRATA EXSTANTIORA.**

P. 4. lin. 2. a fine leg. Psychopannychitarum. P. 7. lin. 9. post voces. plura systemata inser. simplicia.





§. 18.

Te sufficient. Credimus enim, quod ex iis, disputata sunt, satis appareat: IMMORTALITATIS ANIMAE IN SYSTEMATE INFLUXUS SALVA. Ceterum benevolos hujusmodi doctores, æquos judices, futurisque hujusmodi faventes, exspectamus.

Argumentum... NIO contra systema influxus Physici formatum, non...  
Quicumque ad in... lectum, rationem, facultatem fingendi &c. post... in anima perdurantem, provocant, ii nodum hujus du...  
Illi statim controver... i, defensores influxus Physici immortalitatem anim... commonstrant.  
Systema influxus Physici... bilitati animæ repugnat.  
Methodus Mathematica no... philosophiam, sed ex Phi...  
losophia in Mathesin est t...  
Potest aliquid optice verum, &...  
Creatio mundi ab æterno est imp...  
Bonus Philologus bonus debet esse...  
In Celeb. DANZII מרקוק non om...  
mentis, nec cuncta innotescunt se...  
Montanum hæresiarcham suspendio se...  
ritur fundamentis.

ERRATA EXSTANTIA

P. 4. lin. 2. a fine leg. Psychopannychitarum. p. 4. plura systemata inser. simplicia.

